





*Præ. 21. num. 19.*

Q. D. B. V.  
MEDITATIONES  
DE

*1752 5a*

EMENDANDA LITIVM  
PROTRACTIONE

CIRCA

APPELLATIONES  
EVENTVALES

*P 484*

QVAS  
PRAESIDE

IOANNE TOBIA CARRACH, ICTO,

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
H. T. DECANO

AD DIEM II. OCTOBRIS c1010cclii.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVEMITTIT


A V C T O R

CAROLVS PHILIPPVS PESTEL

HERFORDIA GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

*8*




REDDITIONES  
EMENDANDA LITERVM  
PROTRACIONE  
P. R. T. C. H.  
APPELLATIONES  
T. H. E. R. R. I.  
PRINCE ERNESTO ANHALT.  
IOHANNES HORN CARACHINICVS  
NATIONAL-ANZEIGER  
HORN  
CATALOGVS PHILIPPVS HESLER  
DE SA. MARITTE ET RIV. DE BRUSSE  
CHIMIE MACROSCOPIC DE  
L'INSTITUT DE PHYSIQUE



SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR  
LE  
PRINCE  
**THIERRI,**  
PRINCE REGENT D' ANHALT,  
DUC DE SAXE, D' ENGRIE,  
ET DE WESTPHALIE,  
SEIGNEUR DE ZERBST, BEREN-  
BOURG, ET GROEBZIG.  
ETC.

GENERAL FELD - MARECHAL DES ARMEES  
DE SA MAIESTE LE ROI DE PRUSSE,  
CHEVALIER DE L'ORDRE DE  
L'AIGLE NOIR ETC. ETC.

MONSEIGNEUR,

 *uniquement occupé du juste désir  
de donner à VOTRE AL-  
TESSE SERENISSI-  
ME des marques de la profonde vénération  
dont je suis pénétré pour SON AUGU-  
STE*

*STE PERSONNE, j'ose LUI  
offrir les prémices de mes études. Les mar-  
ques réitérées de bienveillance dont VO-  
TRE ALTESSE SERENISSIME  
n'a cessé d'honorer tous ceux qui compo-  
sent ma famille, me font espérer qu'ELLE  
daignera regarder d'un oeil favorable le foi-  
ble hommage que je prens la liberté de LUI  
rendre. Tout ce que j'ambitionne, MON-  
SEIGNEUR, c'est d'avoir le bonheur  
de jouir de la continuation des bonnes graces  
de VOTRE ALTESSE SERENISSI-  
ME, que je LA supplie très humblement*

de m'acorder. Je m'apliquerai de tout mon  
pouvoir à ne pas m'en rendre indigne, et  
à donner toujours à VOTRE ALTES-  
SE SERENISSIME des marques du  
zele et du très-profond respect avec lequel  
je suis,

MONSEIGNEUR,  
DE VOTRE ALTESSE  
SERENISSIME

à Halle  
ce 2. Octobre  
1712.

Le très-humble et très-obeissant  
Serviteur.

Charles Philippe Pestel.





Q. D. B. V.  
MEDITATIONES  
DE  
EMENDANDA LITIVM  
PROTRACTIONE  
CIRCA  
APPELLATIONES EVENTVALES.



§. I.

ix quicquam tam vtile tam salutare inter *Prooemium.*  
homines constitutum est, quod in perni-  
ciem eorum siue consilio siue imperitia  
nonnullorum aliquando non soleat conuerti. Facili nego-  
tio id per varias deducere possem causas, si instituti ratio  
id vel exigeret vel admitteret: verum missis aliis ad iuris-  
A  
pru-

2 MEDITATIONES DE EMEND. LIT. PROTRACT.

prudenciam saltem, cui deditus industriae specimen in praefentiarum reddere debeo, eiusque partem illam, quae ad modum pertinet, quo iura quae hominibus competunt contra inuitos coram iudice in effectum sunt perducenda, animum aduerto. Etenim si qua in parte legitimae scientiae ea, quae pro iustitia et iure suis cuique tribuendis aut naturali ratione aut rerumpublicarum imperio constituta sunt, in iuris ac iustitiae euersionem aut per imprudenciam, aut per calumniam adhibentur: ita maxime illud frequenter contingit circa modum lites cognoscendi et exequendi. Certe quo minus ciuili lege omnia in cognoscendis expediendisque iurgiis iudicialibus in vniuersum definiti possunt, sed aut multa indeterminata aut determinatorum applicatio ad species obuientes disceptantium arbitrio relinqui debent: eo magis nascitur occasio, disceptatione in infinitum ferme protracta, siue imperite iurgia tractantium pro regia via in deuia et ambages incidentium, siue calumnia eorum, quibus vna lege inuenta ingenii ad praua procliuitas quam plurimas suggerit fraudes, quae ciuili lege nihil determinante adhuc magis obuiae illis sunt, indeque studio anfractus ingredientium, exitum litis reddendi difficillimum. Impeditum satis esse negotium, huic medellam adferre malo, inter omnes constat, quibus illud vnquam

quam curae fuit cordique: in illis praesertim processus capitibus, quibus tuto carere nequit iusta litium expeditio; siquidem in his emendandis medium tenere, ut superflite usu abusus tollatur, arduum est.

## §. II.

Tanta autem est huius materiae copia, ut academico <sup>Thema.</sup> specimine exponi, ne dicam exhauriri, nequeat. Quin curam suam extendenti ad iustitiae administrationem emendandam per partes tentandam esse viam singularesque processus iudicarii articulos singulare mereri examen haud ita pridem monuerunt DN. PRAESIDIS *Meditationes de Emendanda litium protractione circa sententias interlocutorias §. 2.* Cumque meditationes istae §. 14. num. 2. etiam *appellationum euentualium* mentionem fecerint atque easdem protractionis litium arguerint emendandae: iurisprudentiae tirocinium positurus consilium cepi *Meditationes de Emendanda litium protractione circa appellationes euentuales* in chartam conijciendi pro themate in cathedra publica ventilando. Equidem in abusus appellationum alii iam strinxerunt calamum, inter quos nominandus GVILIELMVS HIERONYMVS BRVCKNER, qui *programme inaugurali de Abusibus appellationum tollendis, et hac ratione litibus citius ter-*

4 MEDITATIONES DE EMEND. LIT. PROTRACT.

*minandis, occasione L.3. C. de Appellat. anno 1702. Ienae edito quindecim momenta hanc in rem protulit, et, quem is appellat, PETRVS BREDERODIVS P. I. de Appellat. Tit. 3. remedia contra appellationum abusus praefereus; atque imprimis LVDOLPHVS HVGO, qui Consultatione de Abusu appellationum tollendo, Guelpherbit. 1662. edita et Francof. ad Moen. 1706. recusa hanc materiam prolixius tractavit: sed omnes isti vna cum caeteris, qui istam materiam exposuerunt, momentum illud, quod appellationum eventualium abusum concernit, praeteruixerunt. Habet quidem IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS in Diss. de Iure futuro cap. II. a §. 5. ad §. 20. cum LYNCKERO de Grauamine extrajudiciali ibidem citato nonnulla huc facientia, cum de grauamine futuro tractet, quemadmodum etiam DN. PRAESES loc. cit. hoc cacöethes notauit: attamen sicuti ille ad abusum appellationum eventualium taxandum et remouendum praecise animum non aduertit, hic autem summatim rem saltem proposuit, simulque hanc causam curae commendauit singulari; ita acta acturus mihi non videor, eoque minus autumo frustraneos meos conatus futuros, quod praesenti specimine abusum et usum appellationum eventualium paulo distinctius exponere apud animum constituerim, quo frequentiores in foris apparent appellationum*

lationes eventuales et quo sapius earum abusus ordinem tractandarum controuersiarum iudicialium confundit simulque iniustas litium expeditioni iniicit moras adeo vt nuper, quod a DN. PRAESIDE accepi, patronus causae cuiusdam aduersae partis patrono temere eventualem interponenti appellationem exprobauerit pruritus suum appellandi hoc modo, quod inter centum scripta, quae in iudicio offerret, ad minimum nonaginta annexam habeant appellationem eventualem. Interea tamen vix possunt penitus ex foro proscribi appellationes eventuales, praesertim stante sententiarum interlocutoriarum conditione, quae nunc secundum ius commune in foris nostris obtinet, adeoque id saltem agendum est, vt notemus peruersam earundem applicationem, quae saepe contingit vel ex malitia lites protrahere studentium, vel ex stolidi cautione eorum, qui empiricorum instar quiduis imprudentissime imitari et loco incongruo in vsum deducere se vel posse vel debere inepte existimant: iusta vero huius remedii praxis stabilienda magis est quam auertenda. Et quemadmodum DN. PRAESIDIS supra citatae meditationes magis concernunt legislatorum et iudicum quam postulantium prudens officium; ita ex aduerso praesens institutum horum tanget partes, quamquam in his determi-

6 MEDITATIONES DE EMEND. LIT. PROTRACT.

mandis omnino quoque illorum erit habenda ratio. Caeterum praepositis meditationibus nostris de abusu appellationum euentualium emendando, facile erit ad intelligendum, quid statuendum sit de aliis remediis, quae contra grauamina adhibere solent, pro obtinenda eorundem correctione, quae non deuolutiua sed saltem suspensiua dicuntur, utpote quae pariter appellationum instar euentualiter in subsidium vocantur.

§. III.

Ordo dicendorum.

Quo autem distinctius causam hanc pertractare meditationesque de eadem digerere possim, simulque legentibus de usu aut abusu appellationum euentualium et quomodo hae litium inseruiant protractioni quae ratione emendanda sit peruersa earundem praxis rectius queat consistere, hanc reor ingrediendam esse viam, ut primum sed summatim saltem explicem appellationum tum generatim consideratarum indolem, in quantum scilicet haec ad finem propositum et intelligenda speciatim proponenda facit, tum imprimis appellationum euentualium rationem, deinde praecepta quaedam generalia de appellationibus partim in genere consideratis quousque disquisitioni thematici propositi inseruiunt, partim in specie de appellationibus

nibus euentualibus exponam, ita vt tam ad ea aduertam animum, quae practicae principiorum iurisprudentiae consensus secundum naturalem rationem expensus suppe- ditat, tam ad ea attendam, quae ex iure communi maxi- me canonico hanc in rem proponuntur, quibus postea suc- cedant specialiores quaedam meditationes, habito respe- ctu ad partes processus iudicarij praecipuas, in quantum vacare licet iisdem pro temporis angustia qua circumscri- ptus sum, ad reditum in patriam proxime instantem euocatus.

## §. IV.

Varius autem et multiplex est appellationis significa- De aequivo- catione ap- pellationis.  
tus, quapropter a re eo minus alienum erit, si breuibus primariarum significationum mentionem faciam, quo ma- gis necesse est, vt ab ambiguitate liberetur vox, quae no- tionem indigitare debet, quae ad praesentem spectat tra- ctationem, ne vsus in errores deducat ambiguus. Sane

1) populari in significato Latinisque in vita communi familiari et quidem

a) proprio *appellationem* et *appellare* significare *nomen*, *nominationem* et *nominare* nec non *allocationem* et *allo- qui*, obseruant Lexicographi ex GELLIO *N. A. lib. 10.*

c. 25.

8 MEDITATIONES DE EMEND. LIT. PROTRACT.

c. 25. CICERONE in *Verrem* 7. et pro *Milone* aliisque: unde praeterea

β) improprio significatu istae veniunt voces nunc pro *interpellare* nunc pro *adire* aliquem, nunc pro *implorare aliquem auxilii causa*, CICERONI pro *Quint. c. 1. et passim* MARTIALI *L. 7. ad Bacchar.* Et si autem iidem significatus verborum in Iurisprudencia Romana frequenter obueniant, uti vel ex *L. 1. D. ex quibus caus. maior. L. 29. D. de Iud. L. 16. in f. D. de Fideiuss.* apparet, adeo ut maxime postrema significatio ad nostrum faciat institutum: praecipue tamen

II) appellatio et appellare sunt vocabula iuris, ita ut in sensu iuris imprimis Romani nunc accipiantur

α) in *malam partem* pro qualitate causae, dum iniuriarum speciem adeoque delictum constituit, appellare *virginem*, quod idem est ac *blanda oratione alterius pudicitiam attentare*, *L. 15. §. 15. et 20. D. de Iniur.* et quomodo ab *adscitari* differat eadem *Lege §. 22.* monstratur, idque in praesentiarum ad nos nihil attinet, nunc iterum

β) in *bonam fumantur partem*, quod ad praesentem translationem magis propinque accedit. Verum enim vero hoc etiam respectu considerata appellatio diuersae



versae prorsus fuit indolis in iurisprudencia Romana pro diuerso reipublicae statu: siquidem

- a) *alia* prorsus est *appellatio*, quae in statu antiquo reipublicae Romanae, antequam Imperatores summa rei potuerant, iam obtinuit,
- b) *alia* iterum, quae inualuit sub *Imperatoribus Romanis* atque ab his sensim formata, indeque in ius Canonicum translata atque hoc iure amplificata est inque Imperio Germanico obtinet. Vtriusque autem appellationis seorsim habenda erit ratio: quamquam posterior species ad thema propositum proprie pertineat.

## §. V.

Appellationum, quatenus oppressis vel alio modo De appellatione a sententis ex I. R. grauatis praesidium praestant, vtilitatem et necessitatem ex naturali quidem iure descendere facile liquet et multam iamiam monuerunt: interea tamen in hoc quoque negotio ciuilia iura non per omnia naturali inferuire, sed eidem pro ratione rei suae addere aut detrahere, dubio vacat. Neque hoc semper reprehensionem meretur; quin potius id ipsum necessitas suasisit, ne indefinito arbitrio litigatorum in vitilitigia et iustitiae protractionem vel plenariam

B

riam

riam euerfionem conuertatur id, quod defenfionis caufa naturali ratione comparatum est, licet principia pseudo-politica huic quoque rei immixta alia omnia aliquando effecerint. Non ero sollicitus de legibus eiusmodi, quae in foris Germanicis nullam habent auctoritatem: sed statim animaduertam ad ius Romanum. Ad hoc autem quod attinet, tantum adest, ut ante Imperatorum tempora appellatio obtinuerit tanquam remedium deuolutiuum contra quamcunque interlocutionem vel sententiam iniquam pro impedienda rei iudicatae auctoritate et grauaminis correctione a superiore iudice impetranda, quanto minus illud admittit magistratum et iudiciorum, quae tunc fuit, conditio. Sane ea tempestate defuerunt magistratum superiorum et inferiorum diuersae instantiae, quas dicimus, quasque posterior nostraque nouit aetas; Defuit itaque prouocatio ab inferiore ad superiorem magistratum, ab instantia prima ad secundam; neque tale quid admittebat auctoritas magistratum Romanorum. Iudicum uero pedaneorum quod attinebat sententias, eo minus ab iis appellatio locum habebat, quo minus iudex sententia dicta iudex amplius esset, quippe statim, cum sententiam pronunciaffet, suo defunctus officio, et quominus diuersae essent iudicum superiorum atque inferiorum instantiae

tiae: taceo quod prouocationi eiusmodi minus conuenire videretur cum quasi contractu litis contestationis atque additione iudicis ex consensu litigantium dati НОТО-  
MAN. 4. Verr. p. 344. Siquid autem peccatum esset a magistratu aut a iudice, vti hic, siue per sordes, siue per imprudentiam male iudicasset, coercebatur iis, quae contra iudicem, qui litem suam fecit, statuta, ita ille partim repetundarum partim ex edicto, *quod quisque iuris in alterum statuerit vt ipse eodem iure vtatur*, tenebatur, aliquando vero laesis restitutione in integrum subueniebatur, aliquando etiam, sed saltem raro, maxime in priuatis iudiciis, adhiberi poterat appellatio. Nimirum appellatio ex Iure Romano

1) *antiquo erat prouocatio ad populum aut magistratum siue parem siue maiorem, vt intercederet contra violentiam magistratus iniustam.* Neque enim eum in finem facta fuit appellatio, vt is, qui appellabatur, alia causae cognitione instituta contrario iudicio nouaque sententia iniquam tolleret sententiam atque reformaret, sed tantum vt intercederet et a vi defenderet eique obstaret. Quapropter nunc populus, nunc tribunus plebis, nunc consul, nunc quoque collega magistratus violentiam iniustam exercentis, maxime si vitae aut libertatis opprimendae periculum subesset, appellabatur vt intercederet. Vix autem in iudiciis priua-

tis appellatio talis locum inueniebat, imprimis iudicio iam accepto; quanquam, antequam iudicium acciperetur, tribuni appellati sint, vt intercederent, ne dies aut actio diceretur, quae omnia et quomodo illa appellandi facultas legibus nunc stabilita, nunc sublata, nunc iterum restituta, nunc restricta fuerit, plenius ex legibus et auctoribus expofita videas apud POLLETVM in *Hist. fori Rom. Lib. V. cap. 16. et 17.* BRETVM in *Ordine perantiquo iudicior. ciuil. cap. 41. et 42.* IO. SAM. STRYKIVM *Diff. de Process. iur. Rom. antiqu. cap. 6.* Sicuti vero mutato statu reipublicae Romanae, cum omne imperium penes Principes esset, pristina prouocandi ratio hanc experta est mutationem, vt loco populi Imperatores appellarentur, imo ab his designati sint magistratus ad quos prouocare liceret, vti et a quibus appellare permisum esset vel non: ita praeterea Imperatoribus aequum vel saltem e re sua esse visum est, vt certo ordine et modo appellationes in causis ciuilibus, etsi nullus iniustae violentiae metus obuiam esset, eum in finem permitterent, vt grauamen illatum quodlibet causa iterum cognita contrarioque iudicio repararetur, si vel statim pronunciata sententia viua voce, *L. 2. D.*  
*de*

*de Appellat. etc.* vel postea per libellos appellatorios in causa propria intra biduum in causa aliena autem intra triduum *L. 20. §. 1. eod. L. 1. §. 5. 11. 12. 13. et 15. D. Quand. appelland. sit etc.* POLLET, BRET, STRYCK. *citt.* prouocaretur, donec tandem IMPERATOR IVSTINIANVS appellandi licentiam ad decendum prorogaret *N. 23. c. 1. Auth. Hodie. C. de Appellat.* Hinc appellatio ex Iure Romano

II) *Nouo* considerata est prouocatio ad superiorem pro reparando grauamine per inferiorem illato.

### §. VI.

Ita amplificatam appellationem Pontifices et Episcopi formati tandem iudiciis ecclesiasticis et imperio a clero maiore auditoribus obruso atque Principibus secularibus extorto in reipublicae suae, quam sinxerunt, ecclesiasticae vsus deriuarunt, maioremque fecerunt appellandiam, non tantum vt aequitati naturali, qua iustus appellationum vsus nititur, indulgerent, sed ex rationibus hierarchicis, vt hoc modo iurisdictio et potestas Pontificis stabiliretur et extenderetur, Episcopi cum caetero clero in officio retinerentur, reditusque camerae papalis ex litium multitudine augerentur, *TITIVS Obseruat. in compend. iur. LAVTERBACH. Tit. de appellat. obs. 1405.* atque

B 3

Ex I. Can. et Germ.  
Epi-

II MEDITATIONES DE EMEND. LIT. PROTRACT.

Episcopi idem in sibi subiectos exercerent, et in summa, vt eminentioris ordinis clerus fimbrias suas dilataret, inferiorumque auctoritatem infringeret. Neque dubium relinquunt, quae supersunt, antiquorum et medii aevi iurium Germanicorum rudera, quod in iudiciis Germanorum populorumque Germanicae originis tum aduersus iniustam violentiam tum quoque aduersus alia grauamina permiffum fuerit appellare, quod *blasphemare iudicium* dixerunt leges CAPITVLAR. II. et IV. ann. 805. c. 8. CAPIT. lib. III. cap. 7. LEGG. LONGOB. Lib. II. Tit. 52. n. 24. vt Gallica forensis formula est *blamer une sentence*, siquidem *blasphemare* inter alia pro *viruperare* et *culpate* venit, CAROL. DV FRESNE *Glossar. med. et infim. Latin. voce blasphemare*, et Saxones quondam dixerunt, *Urtheil schelten*. IVS PROV. SAX. L. II. art. 12. et *passim*. Attamen ingruente Iure Canonico et Ciuili Romano appellations magis ex hisce iuribus quam ex antiqua processus iudicarii ratione aestimatae sunt, quemadmodum et ipsae leges scriptae Imperiales aequae ac pleraeque prouinciales vna cum fori vsu iurium istorum peregrinorum sancita et interpretum tradita non raro inepta, vel saltem parum consulta, adoptarunt: nisi quod nonnullae leges, vt maxime in terris Brandenburgicis per CODICEM FRIDERICIANVM P. III. Tit. 39 et 40. factum, aerumnis in administranda iusticia atque rei publi-

publicae detrimento exinde natis obuiam ire operam dederint, de quibus omnibus adeas CONRINGIVM *Diff. de Iudiciis veter. Germ.* SCHILTERVM *Exercit. ad Pandect. Exercit. 49.* HEINECCIUM *Element. Iur. German. Lib. III. tit. 8.* LVDOLPH. HVGONEM *cit. tract.*

## §. VII.

Appellationes autem ex nouiore Romano Iure, Canonico et legibus Germanicis imo ex ICTORUM commentis consutae varias recipiunt diuisiones, quippe quae nunc a materia, quae consistit in *grauamine* appellanti illato, nunc a modo, quo adhibentur, diuidi solent. Illam si respicias, intelliges diuisionem appellationis in

I) *Iudicialem*, quae fit a *grauamine iudiciali*, et

II) *Extraiudicialem*, quae fit a *grauamine extraiudiciali*.

Etenim *grauamen iudiciale* dicitur, quod illatum est a iudice per sententiam proprie dictam, sub hac autem intelligimus sententiam, secundum Ius Romanum recentius, Canonicum et Germanicum ita sumtam, vt sit decisio controuersiae per iudicem competentem causa cognita rite publicata, cuius indolem secundum Ius Romanum, Canonicum, ORDINATIONEM IMPERII CAMERALEM P. I. Tit. 13. P. II. Tit. 29. et P. III. Tit. 31. atque RECESSVM IMP. de anno 1654. §. 48. nec non CODICEM FRIDERICIANVM P. III. Tit.

36. seq.

16 MEDITATIONES DE EMEND. LIT. PROTRACT.

36. *seq.* plenius explicuit D. N. PRAESES *cit. Diff. §. 4. lit. β. et §. 5.* Id vero parum refert, an sententia sit definitiva an interlocutoria, modo sit sententia vera seu proprie dicta, quam vulgo sententiam interlocutoriam mixtam nominant, non autem decretum saltem. Certe idem innuunt Icti, qui ad grauamen iudiciale referunt, quod iudex infert vel sententiis absolute per excellentiam dictis, de quibus *cit. Diff. §. 4. n. II. lit. α.* vel interlocutionibus iudicialibus seu quae lite contestata, vti nonnullis placet, et causa cognita feruntur, COLLEG. IUR. ARGENTORAT. *Tit. de Appellat. thes. 6.* STRAVCH. *Diff. ad Ius Iustinianum Diff. XX. thes. 4.* Et quanquam nonnulli sententiarum interlocutoriarum post litis contestationem litarum mentionem faciant, quemadmodum etiam ipsam vocem grauaminis et appellationis iudicialis inde deriuant, quod iudicium a litis contestatione demum ordiatur: id tamen partim factum per incongruam commixtionem Iuris Romani antiqui, secundum quod a L. C. iudicium ordiebatur, cum recentiore, Canonico et Germanico, licet iudicium hisce iuribus latiori ambitu veniens nequiquam demum a L. C. initium capiat, et Iure Romano tam veteri quam nouiore ignoretur diuersitas appellationum iudicialium et extraiudicialium; partim quoque erronee supponitur, quod ante litis contestationem  
lata



lata interlocutio secundum Iura praesertim Germanica neutiquam sit sententia vera. Quin, quem nos exposuimus, conceptum grauaminis extraiudicialis reuera conuenire cum notione aliorum, apparebit ex iis, quae de grauamine extraiudiciali habent. Nimirum *extraiudiciale grauamen* dicunt, quod vel *iudex* quidem infert, sed saltem *per decreta* STRAVCH. *cit. loc.* formam et vim sententiae propriae non habentia, quae vulgo sententiae interlocutoriae merae dicuntur, similiaue iussa aut vetita extra sententiam proprie dictam, vel quod *pars aduersa* infert, *id. loc. cit. COLLEG. IVR. ARGENTOR. cit. loc.* Originem debere appellationes extraiudiciales Iuri Canonico *c. 5. 34. 45. 46. 51. X. de Appellat. c. 8. et 11. Eod. in Vltio Clem. 3. Eod. easdem* praetextu defensionis ideo admittente, vt vberior materia sit appellandi Papam arrepta occasione a *L. 4. et 13. D. de Excusat. monuit BOEHMERVS ad CORVINI. Aporisim. Iur. Can. Tit. de Appell. §. 3. not. r. adde EVND. in Iur. Eccles. Proteflant. Tom. 1. Tit. Eod. §. 4. atque Introd. in Ius Digest. Tit. de Excusat. §. 18.* Quemadmodum autem prior appellationum extraiudicialium species appellationibus iudicialibus propinquius accedit, veramque constituit appellationem, nisi quatenus ipsa decretorum in rem iudicatam non transeuntium, vt

C

adeo

adeo ab ipso grauante corrigi possint, vis a sententiis proprie dictis diuersa diuersas quoque appellationibus ab iisdem tribuit affectiones: ita ex aduerso *posteriorem appellationum extraiudicialium speciem* magis esse *prouocationem, seu uocationem ad causam*, quam appellationem proprie dictam, ipso innuente Pontifice ALEXANDRO III. *c. 5. pr. verb. fin. X. de Appellat.* animaduenterunt alii, utpote BOEHMERVS *Instit. Iur. Can. Tit. eod. §. 2.* Interea nihilominus huic quoque appellationi effectus tribui solet suspensiuus, ne actus, aduersus quem appellatio interposita est, fieri possit, ita ut alias attentatum committatur a iudice reuocandum. Verum id in vniuersum eo minus admittendum videtur, quo minus aut solida huius asserti ratio proferri potest, aut cum suppositione, quod haec appellationis species magis sit *prouocatio ad iudicium* quam appellatio, eidem congruit, aut ex *c. 51. Eodem*, quod hunc in finem profertur, illud probare licet, utpote, quod nihil aliud innuit, quam quod ad appellationem contra *turbationem possessionis interpositam altera parte audita et propositis diligenter inspectis Pontifex INNOCENTIUS III. Abbatem et monachos appellantes in eum statum, in quo tempore appellationis factae ex verosimilibus et probabilibus causis ad ipsum legitime interpositae fuisse noscebantur,*

tur, proprietatis parti vtrilibet saluo iure, decreuerit reducendos, quod ipsum magis est iudicii ipsius possessorii decisi quam appellationis suspensius effectus, qui causa principali etiam nondum inspecta statim producit mandata S. C. attentatorum reuocatoria, respectu eorum, quae facta sunt appellatione interposita. Quin potius recte adstruitur, quod Camera Imperialis ad eiusmodi appellationem non decernat inhibitionem, GAILIUS *l. Observat. 120. n. 4.* ROSBACH *de Process. iud. n. 9.* COLLEG. IVR. ARGENT. *cit. thes. 6.* Quapropter appellationi huic extraiudiciali interpositae aduersus grauamen ab aduersa parte illatum is saltem tribui poterit effectus, quem aut protestatio habet, quae ius protestantis suo modo conseruat, adeo vt et contradictio aliquando possessionem tueatur, malamue efficiat fidem in aduersario, aut quem producit actio mota, indeque litis pendentia, siquidem lite pendente nihil innouandum, et quousque aliquando statim ad institutam actionem inhibitiones decerni possint. Caeterum sicuti haec appellationum diuersitas in praesentiarum saltem eatenus ad nos spectat, quatenus ad appellationem euentualem pertinet: ita reliqua appellationes et iudiciales et extraiudiciales, quas posteriores LYNCKER *cit. tract.* pluribus executus est, concernentia mittimus vna cum aliorum distin-

Etione appellationum in *interiudicialem*, *iudicialem* et *extraiudicialem*, vel, vt nonnulli volunt, in *anteiudicialem*, *interiudicialem*, *iudicialem*, et *postiudicialem*, iam a WESENBECCIO in *Paratit. Pand. Tit. de Appellat. n.s.* merito tamquam inutili reiecta. Quamuis enim exinde deduci solet ista appellationum differentia, quod non solum aduersa pars grauamen inferre queat, sed iudex quoque diuerso modo grauare possit, nunc scilicet ante sententiam definitiuam, nunc in ipsius prolatione, nunc vero post eam pronunciatam: in effectu tamen omnia redeunt ad appellationem iudicialem et extraiudicialem, atque iterum in distinctione ista, terminus *iudicii* modo Iuri Romano antiquo quidem congruo sed recentiori atque Iurisprudentiae forensi Germanicae maxime importuno, restringitur ad disceptationem causae controuersae a litis contestatione ad sententiam definitiuam, quibus cancellis *iudicium* Iure Romano nouiori, Canonico et Germanico minime potest includi. Neque curae nobis est alius appellationum iudicialium et extraiudicialium significatus, quo illae quibusdam dicuntur, quae coram ipso iudice grauante, hae vero, quae coram Notario et testibus, vel, hoc deficiente, coram aliis personis honestis, interponuntur: quippe qui ad institutum nostrum nihil facit.

§. VIII.

## §. VIII.

Succedat ergo alia appellationum diuisio, quae respectu ad modum, quo adhibentur, habito concipitur. Equidem in hac quoque consideratione varia est appellationum diuisio: sed ad tractationem hanc illa saltem pertinet, qua appellatio dispescitur,

I) in *Euentualem* et

II) *Puram*.

*Illa est appellatio, quae desiderio cuidam adicitur in euentum desiderio contrarium tamquam grauaturum. Haec vero scilicet pura est, quae simpliciter contra grauamen illatum interponitur, non vero desiderio cuidam in contrarium eiusdem euentum adnectitur. Perinde autem est, siue desiderio iudiciali, siue extraiudiciali appellatio in contrarium adiciatur casum, cum tam iudicialis quam extraiudicialis appellatio esse soleat vel euentualis vel pura. Caueas quoque existimes, appellationem euentualem esse prorsus eandem cum appellatione a grauamine futuro. Quamuis enim euentualiter appellans ob merum grauaminis futuri, vel saltem quod pro tali venditat, desiderii suis appellationem subnectat: minime tamen vice versa appellatio a grauamine futuro statim erit euentualis; sed haec quoque pura esse potest, et*

II) a modo in  
1) euentual-  
lem et  
2) puram.

plerumque esse solet. Nam grauamen, contra quod appellatio interponi potest ex iure Canonico et fori Germanici vsu, diuidi solet in grauamen instans et futurum, LYNCKERVS *cit. Tract. c. 3. P. 3. §. 1.* BOEHMERVS *Diff. de iure futuro c. 2. §. 3. ad 5.* illud autem est, quod per se iam iam illatum, hoc autem, quod per se in praesentiarum illatum non videtur, attamen in posterum per consequentiam fluat ex iis, quae in praesentiarum fiunt aut statuuntur; vnde est, quod in appellatione a grauamine futuro requiratur grauamen moraliter certum, *argum. c. 18. et 59. X. de Appellat.* BOEHMERVS *cit. Diff. §. 4.* siquidem illa, quae in posterum per consequentiam fluunt ex iis, quae in praesentiarum fiunt aut statuuntur, his insunt, et reuera vel saltem virtualiter iam sunt praesentia *IDEM cit. §. 4.* Sequitur ergo, quod appellatio a grauamine, quod futurum dicitur, omnino esse possit et soleat pura. Ex aduerso appellationem euentualem aliquando quoque contra grauamen instans interponi, seu desideris contra praesentem et explicite illatum grauamen praepositis iungi posse, apparebit ex dicendis de cumulatione appellationis euentualis cum aliis remediis.

## §. IX.

His expositis, de praeceptis, quibusdam generalibus Meditationes  
generales de  
appellatione  
in genere. monendi sumus appellationem tum in genere consideratam concernentibus tum in specie appellationem eventualem tangentibus, in quantum auertendae protractioni iustitiae et iudicio in meditationibus specialibus rectius ea de re ferendo inserviunt. Nimirum ipsa processus iudicarii secundum naturalem rationem aequae atque ex fine imperantium, quem in eodem ad rectae rationis amissum determinando intendere debent ac intendisse ordinarie praesumendi sunt, perpenfi constitutio id indigitat, quod vniuersim in litibus cognoscendis et expediendis tam legislatoribus quam iudicibus curae cordique esse debeat, ne quidem per festinationem praecipitantem causam non satis auditam et defensione necessaria denegata decidendo, neque tamen temerariae morae inutilibusque expensis indulgendo frustranea reddatur administratio iustitiae DN. PRAESES *cit. Diff. §. 9.* Quin cum audiendis omnibus citium iurgiis ipse imperans raro vacare possit, ideoque loco eiusdem, utpote fontis omnis iurisdictionis, magistratus constituantur, qui litibus cognoscendis et decidendis rectius et cum minore temporis ac sumtuum dispen.

spendio aliisque litigatorum incommodis paucioribus, quam quae aditum ad ipsum imperantis palatium comitantur, operam possint nauare: sequitur, quod id quidem curandum sit, ne omnis aditus ad ipsius imperantis auditorium sanctius litigantibus sit praecludendus, simul vero id agendum, ne liceat temere cuius obstrepere eidem atque conculcare magistratus auctoritatem in euerfionem fori et instantiarum, quas dicimus, inferiorum, atque in litis protractionem cum maiore sumtuum dispendio coniunctam; sed pateat saltem imperantis auditorium pro refugio illis, quibus per magistratum ordinarium ius suum non redditur, aut quos priuilegium, quod personae vel causae conditionem decet, a iurisdictione magistratus ordinarii exemit. Facile ex his conficitur, quod 1) appellationum iudicialium auxilium iniqua iudicis sententia laesis eo minus in vniuersum sit denegandum, sed potius iisdem eo magis in foris Germanicis indulgendum, quo facilius contingere potest, ut iudex in tanta iurium multis inuolutorum tricis incertitudine atque in illis ad species obuinentes applicandis difficultate siue ex inscitia siue ex imprudentia, ut de sordibus et alio partium studio nihil dicam, in causis controuersis cognoscendis et decidendis labi possit: certe durissima esset litigatoris conditio, si  
fortu-



fortuna eius ab vna sententia pendere deberent. Quin  
 II) cum appellatio variis obnoxia fuerit facta incommodis,  
 non immerito in locum eiusdem suo modo surrogata sunt  
 alia contra sententias iniquas remedia, quae *suspensiva* di-  
 cuntur, in diuersis Germaniae iudiciis vario venientia no-  
 mine *reuisiois*, vti nunc dicimus in terris Brandenburgicis,  
 vbi tamen reuisio appellationis loco est ad tertiam instantiam  
 COD. FRID. P. III. Tit. 40. *supplicationis, restitutionis in integrum.*  
 Quae remedia in SUMMIS IMPERII TRIBVNALIBVS quo-  
 que obtinent, *nullitatis dictionis*, quo nomine multi abutuntur,  
*leuerationis*, quam Saxones dicunt. Imo III) illud etiam vsu  
 venit, vt aequae, vti actionum plurium, ita etiam eiusmodi  
 remediorum cum appellatione cumulationem alternatiuam  
 similem in casu dubio fora admittant in eodem libello. In-  
 terea tamen IV) et appellationum et remediorum suspensiuo-  
 rum materia consistit in grauamine, seu quod aliquid siue  
 a iudice statutum siue ab aduersario actum sit iniustum al-  
 teri inferens incommodum, quod c. 59. X. *de Appell.* INNO-  
 CENTIVS III. causam appellationis dixit. Deficiente igitur  
 grauamine nec appellationi nec remediis aliis suspen-  
 siuis locus esset concedendus *cit. c. 59.* Quapropter V)  
 appellatione opus non est, si sententia insanabilis nullita-  
 tis vitio laboret: quippe quae grauare nequit *Tot. Tit. Di-*  
*gest.* Quae sententiae sine appellatione rescind. et *Tot. Tit. C.*

D

Quando

Quando *prouoc. non est necesse*, competente etiam post decendium vi rei iudicatae exclusa nullitatis querela: nisi iura prouincialia diuersum sanxerint PERILL. DN. KNORRIVS *Anleitung zum gerichtlichen Proceß Lib. I. c. 25. §. 4. 5. 6. 7. et 11. Cumque VI)* de sententia obscura incertus sit litigator, an grauet: neque ab ea statim opus est appellatione; sed antea petere licet sententiae declarationem, quae, si gravamen inferat, demum appellationi vel remedio cuidam suspensiuo locum dat, neque antea in rem iudicatam transit sententia. In terris tamen Brandenburgicis petitio declarationis restricta est ad *decendium* COD. FRIDERIC. P. III. Tit. 38. §. 1. Interim vti alias suo modo permissum est, in foris saltem Germanicis, pluribus remediis simul ius suum exponere eaque in scripto eodem cumulare: ita VII) aliquando conceditur cumulatio alternatiua, quam dicunt, vel remedii suspensiuo vel appellationis cum nullitatis querela PERILL. DN. KNORRIVS *loc. cit. §. 9. a.*, imo aut appellatio aut remedium aliquod suspensiuum iungi nonnunquam solet petitioni declarationis: Atque cumulatio haec partim fit in causa, in qua ambigitur, quale remedium ex pluribus competat, partim in quibusdam etiam locis illa eatenus vsu venit, vt intra certum tempus lege prouinciali definitum electio competat cumulata in-

ter-

terponenti remedia quonam ex illis ipsi videatur vtendum tanquam magis opportuno, quod prosequendum et iustificandum prae altero optat. Id quoque VII) omittendum non est, quod si iudex in omittendo peccet magis, quam in committendo, si scilicet ad desideria litigatoris nihil profus decernat, grauasse vix possit dici, adeoque magis querela protractae vel denegatae iustitiae quam appellatio locum inueniat: nisi forsitan aliquod capitulum litis, quod vtraque parte desuper satis audita ad decidendum fuerat maturum, in sententia praeteruixerit iudex, vtpote quod pro reiecto, vulgo *als stillschweigend aberkant*, plerumque haberi solet; quod tamen limitandum duxit DN. PRAESES *cit. Diff. §. 5.* Quamuis iudex etiam committendo denegare aut protrahere possit iustitiam: vt adeo appellatio et querela denegatae vel protractae iustitiae aliquando concurrat. Caeterum IX) an, quod actum est, reuera grauamen contineat, de eo ordinarie iudicium non est penes ipsum, qui tale quid egit: sed iudex semel grauens semper praesumitur grauaturus in eodem puncto, id est, iudex vix praesumitur suum agnoscere et corrigere velle lapsus; imo in sententiis proprie dictis ipsi nequidem licet pronunciata sua corrigere *L. 14. et 42. D. de Re iud.* nisi remedium suspensiuum fuerit desuper interpositum.

Quapropter ordinarie in iudicis, a quo appellatur, arbitrio non est, an admittere an vero praetextu deficientium vel irrelevantium grauaminum reiicere velit appellationem, cuius quaestionis cognitio vel diiudicatio dependet a superiore qui appellatur, praesertim cum per beneficium non deducta deducendi non probata probandi *L. 4. C. de Temporib. appellat.* pondus accedere possit grauamini in iudicio appellatorio deducendo. Attamen haec omnia non sine discrimine sunt admittenda: verum etiam id sedulo attendendum est, X) ne temeraria prouocatione indulta iustitiae administratio vel retardetur vel profus euertatur, aut XI) iudicum inferiorum auctoritas conculcetur *cit. cap. 59. X. de Appellat.* Rarissime enim sententia pronuntiabitur tam iusta, vt vtrique placeat parti, nec a parte victa iniquitatis et iniustitiae accusetur vel grauaminis obtentu impugnetur, si non obscuritatis, liquidissima licet sit, aut plane nullitatis arguatur, et sic, quod defensionis causa introductum, in praesidium iniustitiae conuertatur. Sed quoniam abusus iste eo minus in totum euerti potest, quo minus iudici a quo appellatur integrum est, de grauamine iudicare: ex parte tamen huic malo obuiam eundum. Vnde XII) legibus positiuis causae quaedam definiuntur, in quibus vel  $\alpha$ ) plane non, vel  $\beta$ ) tantum non ad effectum suspen-

suspendendi executionem admitti debeat appellatio, simile remedium, quarum illae in ditionibus POTENTISSIMI ET CLEMENTISSIMI BORVSSORVM REGIS constituunt numerum 36. in CODICE FRIDERICIANO *Part. III. Tit. 39. §. 3.* descriptum, hae vero ad 14. casus determinatae et speciatim relatae COD. EODEM *cit. Tit. §. 5.* Constituti quoque non solum Romano iure erant magistratus sine prouocatione, Senatus nimirum *L. 1. §. 1. et 2. D. A quibus appellare non licet* et Praefectus praetorio *L. vn. §. 1. de Officio praef. praetorii.* Verum etiam XIII) in Germania privilegium Electoribus indultum est de non appellando in totum AVR. BVLL. *Tit. XI. R. I. de Anno 1654.* aliisque quibusdam statibus Imperii, quos vide apud STRVVIVM in *Corpor. Iur. Publ. cap. XXV. §. 4. 5. seq.* et nouissime POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI quoad omnes suas ditiones Germanico IMPERIO obnoxias ex concessione AVGVSTISSIMI IMPERATORIS FRANCISCI I. data die XXXI. Maii anni MDCCXLVI. quam videas in ILLUSTRIS DN. KOENIGII *Select. Iuris Publ. nouiss. P. XXIV. c. 8* aliis vero saltem quoad certam summam hoc ius datum est, de quibus iterum adeas STRVVIVM *cit. loc. §. 47.* Idemque ius in querela nullitatis obseruandum esse, optime adstruxit ILLUSTRISSIMVS DN. L. B. DE COCCEII *Iur. Controuers. L.*

*XLIX. Tit. 1. Q. 4.* Et quamuis alias priuilegium de non appellando quaerelam denegatae vel protractae iustitiae haud excludat: aliud tamen obtinet quoad priuilegium POTENTISSIMO REGI BORVSSORVM dicto anno et die ab IMPERATORE AVGVSTISSIMO indultum supra laudatum. Non minus quoque XIV) factum est, vt et nullitatis querela et declarationis petitio propter singularem abusum aut sublata aut restricta sit, maxime in terris Brandenburgicis COD. FRID. *Lib. III. Tit. 38.* PERILL. DN. KNORRE *cit. cap. 25. §. 13.* Cumque XV) decreta magistratuum vires rei iudicatae nec per silentium decem dierum nanciscantur *Tot. Tit. Cod. Comminationes. epistol. programmu. subscription. auct. rei iudic. non habere* ILLVSTRISSIM. DN. L. B. DE COCCEII *loc. cit. Q. 8.* adeoque ab ipso decernente contrario imperio tolli possint *L. 14. D. de Re iudic. c. 60. X. de Appellat.* ILLVSTRISSIM. DN. L. B. DE COCCEII *loc. cit. et Lib. XLII. Tit. 1. Q. 9.* DN. PRAESES *cit. Diss. n. 6.* sponte hinc sequitur, quod magistratus per eiusmodi decreta grauans ipse possit grauamen illatum reuocare neque sic appellationi teneatur dare locum sublata appellandi causa *cit. c. 60. X. de Appellat.*

## §. X.

Quod si secundum haec perpendas appellationes eventuales facile erit ad intelligendum, quid sentiendum sit de his, maxime de appellationibus iudicialibus. Sane I) si desiderio cuidam, quod plane nondum dirigitur contra iam statuta a iudice, ita ut ne quidem virtualiter decreta sint, in contrarium eventum adiiciatur appellatio, temere eadem omnino interponitur. Siquidem  $\alpha$ ) hoc casu appellatio peccat contra principia iuris appellandi: cum grauamen adeoque causa appellandi per §. 9. num. IV. deficiat. Accedit  $\beta$ ) quod eiusmodi prouocationes innumeris ansam dent relationibus a iudice inferiore ad superiorem mittendis innumerisque ab hoc ad illum dandis rescriptis, dum iudici a quo denegatur potestas, appellatione interposita aduersi quid statuendi, nisi attentati reus argui velit, quo ipso iudici ligantur manus, ne pro merito in cognoscenda causa procedere queat, simulque mora iniicitur iniusta administrandae iustitiae, aut occasio datur contra iudicem nihilominus, quamquam iusto ordine, procedentem, petendi et impetrandi mandata attentatorum reuocatoria et aduersario contraria iterum impetrandi rescripta et mandata. Qua prouocatione praeposteram

in specie de  
appell. euen-  
tuali iudicia-  
li.

stera quemadmodum ordo procedendi turbetur, disputan-  
dique de appellatione, antequam ulterius in causa progredi  
liceat, prius remouenda, materia praebeatur, γ) ius pri-  
mae instantiae aduersarii cum maximo huius incommo-  
do, δ) vna cum iudicis inferioris iurisdictione euertatur,  
ε) imo auctoritas eius per intempestiuam diffidentiam  
infringatur, et quomodo his omnibus contra principia §. 9.  
praesertim n. X et XI. impingant, atque ζ) cominando  
appellationem et quasi delationem iudicis ad superiorem  
propter iniustitiam, nisi petitis annuat, eiusmodi  
prouocans eundem per vim et metum concurtere intendat,  
vt quibusuis desiderijs iniustis gerat morem, nemo non  
aduertere poterit.

## §. XI.

Remotio du-  
biorum ex  
L. 39. pr. D.  
de Minorib.  
XXV. ann.  
atque ex c. 18.  
51. et 60. X. de  
Appellat.

Neque praesidium inuenient hoc casu appellationes  
euentuales in Iure Romano aut Canonico. Quanquam  
enim forsitan huc collineare videantur L. 39. pr. D. de Minorib.  
XXV. ann. atque c. 18. 51. et 60. X. de Appell. re tamen penitus  
inspecta statim deprehendes, nihil inesse textibus his nos  
in contrarium mouens. Nam quod ad L. 39. pr. D. de Min.  
etc. attinet, illa refert appellationem ab aduersariis mino-  
ris, qui restitutionem in integrum petierat, ad IMPERA-  
TOREM



TOREM factam, *dicta pro aetate sententia*: adeoque tractat lex de appellatione interposita, postquam sententia quaestionem praepudicialem, num restitutionem petens minor sit, iam iam erat pronunciata, quae tanquam grauan impugnabatur, quod, qui restitutionem obtentu aetatis petierat, non esset minor, vnde postea dependebat negotii cum eo gesti petita rescisso. Tantum ergo abest, vt lex ista ad casum praesentem appellationis desiderio in contrarium euentum adnexae spectet, vt ne quidem de appellatione a grauamine futuro quid contineat. Nec plus efficit *l. 18. et 60. X. de Appellat.* Etsi enim ALEXANDER III. *in cit. c. 18.* appellationem indulserit *super omni grauamine quod in vna causa possit inferri, quanquam generalis appellatio sit interposita*: id tamen INNOCENTIUS III. ad meliora animum aduertens omnino emendauit, appellationem non aliter admittens *quam ex causa rationabili*, quae sine dubio supponit, statutum iam aliquid esse a iudice, quod ex causa rationabili pro grauamine possit reputari, de caetero autem ante omnia coram iudice, cuius auctoritatem et iurisdictionem factam testam esse voluit litigatoribus simul super laboribus et expensis consulendo, coram quo quis aduersarium conuenit, vt suam iustitiam prosequatur, iussit, reiiciendo ante sententiam

E tiam

tiam eiusdem prouocationem ad superiorem iudicem absque rationabili causa factam *c. 59. X. Eod.* His itaque praemissis minus nobis obstat, quod *IDEM* statuit *c. 60. X. Eod.* utpote quo tractat de appellatione ab interlocutione vel comminatione ita concepta, ut aliquid protulerit, quo executioni mandato, alter luigantium grauaretur. Apte enim iam iam monuit *BOEHMERVS Diff. de iure futuro c. 2. §. 4.* atque ex antecedentibus liquet, quod ista iuris Canonici dispositio quidem pertineat ad appellationem a grauamine futuro permissam, ita tamen se habeat, ut semper supponat grauamen moraliter certum, et quod reuera inest iis, quae in praesentiarum iam statuta, confer supra §. 8. deducta: nos autem *cit. §. 8.* monstrauimus, quod appellatio euentualis minime sit eadem cum appellatione a futuro grauamine, utpote quod in casu, quem §. 10. proposuimus, moraliter certum neququam est. Neque nos morabitur *c. 51. X. Eod.* quippe quod ad appellationem extraiudicalem spectat, atque cuius sententiam et vim supra §. 7. iam accepimus, de qua appellatione hoc loco non agitur infra potius explicanda.

## §. XII.

Conficitur ex dictis protinus, II) quod iudici eo magis concedenda sit potestas, spreta eiusmodi appellatione friuola, cognoscendi causam seruato iuris ordine: quominus appellationis remedium est ad defensionem iniquitatis, sed ad praesidium innocentiae institutum *c. 61. X. Eod.* Imprimis III) haec potestas non potest non competere iudici, interposita appellatione euentuali quoad momenta, in quibus appellare vel plane non est permiffum, vel saltem non quoad effectum suspendendi executionem. Cum enim hisce casibus appellationi pure interpositae pro diuersitate causarum vel plane non vel tantummodo non ad effectum suspensuum deferendum sit, sequitur, quod multo minus aliter fieri queat cum appellatione euentuali. Quemadmodum autem supra adstruetum legimus, quod cumulatio diuersorum remediorum iuris alternatiua aliquando permiffa sit, idque pariter obtineat in remediis variis contra sententias et quidem vel ob dubium, quodaam prae altero magis aptum sit et locum inueniat, vel in quibusdam iudiciis, vt liceat postea alterum eligere iustificandum, prout commodum videtur § *p. num. VII.* sic quoque IV) contra sententias iudicis iamiam prolatas aequae licet cum remediis suspensiuis.

Prosecutio  
medit. gene-  
ral. de appell.  
euentual. iu-  
dicial.

nec non cum querela nullitatis, vti et cum petitione declarationis, vbi ambigitur, an illa de iure admitti queant, euentualem proponere appellationem, si nimirum illis forsan locus non concedatur remediis, qui appellationi negandus non fit. Frustra vero id fieret, vbi certi iuris est, quod in casu quodam remedii suspensui nullitatis querela, vel petitio declarationis sententiae admitti nequeant, vt ergo potius simpliciter appellandum sit, quovsq; facultas appellandi de iure adhuc salua est.

## §. XIII.

extraiudicia-  
li.

Extraiudiciales quoque ad appellationes quod attinet, I) illam speciem, quae respectu iudicis, qui qua talis grauari videtur, interponitur, eandem habere rationem cum iudiciali, cum quodam tamen discrimine, dictum est §. 7. Hinc de appellationis eiusmodi euentuali interpositione idem quoque statuendum est, quod huc vsque deductum est de appellatione euentuali iudiciali: nisi quatenus decretorum a sententiis proprie dictis diuersa indoles secundum *cit.* §. 7. et *q. n. XVI.* differentiam indigitet. Quapropter II) hoc etiam casu desiderijs de decreto a iudice demum impetrando in contrarium euentum incongrue adiicitur appellatio. In alia omnia autem stante pro-

procedendi modo, quo nunc vtuntur fora Germanica, III) eundem est, si a iudice iam emanauerit epistola, comminatio, programma, vel simile aliquod decretum, vnde grauatum se ex rationabili causa putat litigator, et propterea repraesentatis iudici rationibus grauaminis ab eodem petat, vt iussa vel vetita grauantia contrario tollat imperio, vbi omnino licet in contrarium casum subnectere petito appellationem ad sistendam vim iussorum et vetitorum grauantium, in quantum per qualitatem causae et ipsorum iudicis decretorum id fieri potest. Illa vero appellatio extraiudicialis, IV) quae contra grauamen vel a iudice, non qua tali, sed qua parte, vel ab aduersario illatum interponitur, protestationi seu contradictioni aduersus talem actum euentualiter, nisi scilicet is intermittatur, eatenus semper potest iungi, quatenus protestanti contra molimina aduersarii aut actio aut prouocatio ad agendum vtpote ex *L. Diffamari §. C. de Ingen. manumif.* competit: cum eo ipso nullum inferatur aduersario seu appellato praeiudicium. §. 7.

§. XIV.

Proferamus dicta adhuc paucis ad specialiora Medit. speciales de ab-  
usu appell.  
euentual.  
processus momenta; quorum tamen quaedam sal-  
tem

E 3

tem

tem instar exemplorum memoranda sunt, ex quibus applicatio generalium praeceptorum ad species reliquas haud difficulter apparebit. Primo itaque loco notanda quaedam veniunt specialia de abusu appellationum euentualium, qui vitandus est: postea quoque de vsu nonnulla adiiicientur. Abusus sane I) est, quod temerario conatu nonnulli caudidici cuiunque scripto, quod iudici offerunt, eiusdemque petitis pro tali scripto recipiendo addere soleant appellationem euentualem, nisi iudex illud recipiat, et secundum petita decernat. Deficit enim gravamen tam instans quam futurum moraliter iam certum simulque omnis appellandi causa, et comitantur eiusmodi appellationem iniusta reliqua incommoda, quae supra §. 10. notauimus. Atque si secundum ordinem procedendi legitimum scriptum aliquod offeratur pro numero et modo deductionum cuius parti competentium, vix dubitandum, quin iudex illud sit recepturus: ad minimum expectandum est, quid iudex facturus sit; siquidem tunc demum gravamen subesset, si iudex eiusmodi deductionem reiecerit. Quodsi vero deductio talis vagetur extra iustum ordinem procedendi, tunc aperte iniustum est desiderium vna cum appellatione euentuali. Sed II) non raro contingit, vt litigator quidam exhibeat iudici scriptum

ptum iniuriarum siue in iudicem siue in aduersam partem plenum timens, vt iudex illud ad acta recipiat aut iniuriosis petitis annuat, ideoque appellationem eidem inferat, nisi recipiatur, petitisque concedatur locus. Sed quid magis iniustum atque absolum esse potest, quam attentata eiusmodi concussio iudicis ad patrociniū iniustitiae praestandum? quidque magis incidere potest in censuram, sub quam abusus appellationum euentualium §. 10. vocatus est? III) Non minus iniuste agitur aliquando iudex ab vtraque parte, dum altera protestatur contra scriptum ab aduersario forsan exhibendum, hic vero ne reiiciatur id, quod exhibet, prouocationem exhibito addit in casum reiectionis. Sed omnia perquam inepte: impossibile enim est, vt iudex simul idem scriptum recipiat, et non recipiat; atque sic nihilominus recipiendam erit, arbitrio, num reiiciendam vel non, relicto superiori, ad quem desuper referendum non sine turbatione ordinis iudiciarii, retardatione litis, atque sumtibus inutilibus. Quid itaque IV) magis incongruum est, quam si actor libello, nisi secundum petita eiusdem mox statuat iudex, vrpote nisi statim mandata sine clausula aut arrestum decernat, subnectat appellationem euentualē? Quid V) minus conuenit iusto controuersias forenses disceptandi modo, quam si reus exceptio-

ptionibus dilatoriis aut peremptoriis, aut si quasdam ex his ad litis ingressum impediendum obmouerit, statim addat prouocationem ad superiorem in casum, si iudex non e vestigio reum vel ab instantia, vel ab actione sit absoluturus. Non nunquam VI) eadem importunae appellaciones conspicuae sunt in foro occasione facultatis triplicandi et quadruplicandi, vti et VII) vltimam offerendi positionem. Idem VIII) occurrere, certior factus sum, in petitione dilationis. Etenim, qui prorogationem termini congrui cuiusdam a iudice flagitat, desiderio quoque suo in casum denegationis addere solet prouocationem, quamquam nulum adhuc subfit grauamen. Idque ad hunc pertinet casum, quo primae dilationis impetrandae ergo primaeque hunc in finem oblatae implorationi appellatio euentualis adiicitur. §. 13. n. I. et II. Quodsi enim antea simpliciter petita fuerit prorogatio, iudex autem iniuste denegauerit petita, tunc desideria sua repetens non importunam in contrarium euentum adiicere poterit prouocationem: cum enim iam decreta reiectio grauamen intulerit, vt adeo appellandi causa iam iam adfit, grauamen vero illud per decretum tantummodo illatum contrario imperio tolli possit, grauatus non inepte illud iterata impetrare intendit imploratione, meritoque huic adiicit prouocationem.



cationem in aduersum euentum §. *cod. num. III.* Porro IX) ad abusum referri debet, si quis testium examen petat sub euentuali appellatione: expectandum enim esset ante omnia, an iudex examen denegaturus, an vero terminum productionis praefixurus sit; quippe illo demum casu materia appellandi nascitur, si examen non sit intempestiuum, minime autem hoc casu *cir. §. 13. num. I. et II.* quo tamen limitatio *ex num. praeced. VIII.* repetenda est. Pari in censu X) est is, aduersus quem testes producendi, si, vti saepe fit, contra examen excipiat atque protestetur addita simul appellatione euentuali, deficiente adhuc iudicis sententia super exceptionibus examini obmotis et sic quoque appellandi causa omni. Vtcrius adhuc XI) procedit prouocantium pruritus, vt praefixo ad audiendam sententiam termino citatus contra publicationem non solum sine ratione sufficiente protestetur, sed etiam in casum, si protestationem forsitan iudex non sit attenturus, statim addat appellationem, qui, quamuis iusta ad protestandum moueat causa, expectare deberet, an iudex protestationem attendat vel non; siquidem citatio ad audiendam sententiam, postquam in causa couclusum, vel si ob contumaciam alterutrius partis pro conclusa habeatur, ordinarie grauamen non continet: aliquando tamen et protestandi et pro-

F  
tinus

tinus appellandi rationem habere poterit litigator; sed tunc reuera supponitur grauamen iam iam exstans, cuius effectibus occurrendum. Tale quid contingere poterit, si ad audiendam sententiam citatus certior factus sit, iudicem acta transmississe ad collegium, quod citatus in termino inrotulationis exceperat: id ipsum enim inique factum est, si exceptio recte se habuerit; adeoque non tenetur excipiens permittere, vt sententia publicetur, sed iudex obligatus est, vt suo sumtu acta sententiae hauriendae causa ad aliud collegium transmittat. Id quoque silentio praeterendum non est, XII) quod aliquando sententia quidem dicta, sed cuius tenorem ignorat appellans, prouocet euentualiter in genere a quocunque grauamine, si forsitan sententia aliquod contineat. Quodsi enim litigator quidam contumax sit in soluendis sumtibus pro impetranda sententia necessariis, citari solet ad audiendam sententiam adiecto praecepto de soluendis in termino publicandae sententiae expensis sub comminatione, *wiedrigen Falles soll dem erscheinenden Theile, wenn er die sämtlichen Unkosten erlegen wird, alleine das Urtheil publiciret, dem ungehorsamen aber verschwiegen werden, demselben jedoch das fatale decendii rei iudicatae nichts desto minder lauffen.* Consulere igitur contumax contra hanc iudicis cautelam sibi solet hoc

hoc modo, vt, si quid aduersi ipsi forsan contineat sententia, appellet a quocunque grauamine. Astinuicita Themide haec fiunt, quippe per generalitatem obscura, nec ita comparata, vt constet, a quonam momento prouocatum, quidque deuoluendum et iustificandum, quid res iudicata et executioni dandum sit. Neque obscura eiusmodi prouocatio exinde poterit defendi, quod Pontifex ALEXANDER III. approbauerit appellationem ab omni grauamine, quod in vna causa possit inferri *c. 15. X. de Appellat. supra enim §. II. iam iam accepimus, quod postea INNOCENTIUS III. c. 59. X. Eod. errorem illum correxerit, statuendo vt quisquam absque rationabili causa non prouocet, et, si quis ex rationabili causa putauerit appellandum, coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quae si foret probata deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscat, quibus adde *cit. §. allegatum c. 60. X. Eod. Quin XIII)* non sufficit multis forensibus, vt desiderijs suis vnam adiciant appellationem euentualem, vel remedium suspensiuum, sed cumulum addunt appellationum, ita vt statim, in casum si superior forsan appellationem reiecturus sit, vterius ad huius superiorem prouocent, et sic porro procedant appellando, quousque superior datur, qui appellari possit. Sic ante aliquot tempus*

quis tali formula generaliter propofitorum remediorum cumulum efferebat: *Wir haben also contra quodcunque grauen intra decendium leuteriren, um terminum prosecutionis hiermit ansuchen, und in casum reiectionis an Hochfürstliche hochlöbliche Regierung, auch in unverhoffeten abermahligen Reiections-Fall, von dar weiter ad proxime superiorem appelliren, und Apostolos reuerentiales instanter, instantius, et instantissime bitten wollen.* Quo nihil magis turbat ordinem cognitionum legitimum, nihilque magis sine iusta fit ratione.

## §. XV.

de vsu.

Perfectis primariis abusibus appellationum euentualium restat, vt paucis moneamus de vsu earundem. Constabit quidem de hoc facile tum ex meditationibus generalibus §. 10. 11. 12. et 13. prolatis, tum ex oppositis eorum, quae §. 14. de abusu dicta sunt, quemadmodum etiam hinc ipsis quosdam de vsu legitimo adiecimus limitationes §. 14. n. I. VIII. IX et XI. sed imprimis quaedam praetermitti non debent momenta specialia. Nimirum I) vidimus §. 2. quod sententia quae ipso iure nulla est, in rem iudicatam de iure communi non transeat, sed post decendium quoque querelae nullitatis siue coram eodem siue coram superiore proponendae obnoxia sit: vidimus quoque quod in casu du-  
bio

bio cum querela hac cumulari possint remedia contra sententias grauanteres ordinaria. Illustrationis ergo tantummodo addimus, quod proteruia litigatorum vim rei iudicatae omnem post decendium elapsam in perpetuum nullitatis obtentu euertere studentium produxerit distinctionem inter nullitatem sanabilem et insanabilem, ita vt illa rei iudicatae auctoritati non obstare debeat *R. I. de Anno 1654. §. 121, 122, et 123.* Paulo obscurior haec distinctio praesertim in tanta iurium incertitudine, dubium saepe reddit animum aduocati: quo casu omnino consultius est, vt querelae intra decendium propositae in casum, si iudicetur parum oportuna, adiciatur appellatio. Idque eo magis licebit, quo magis vulgatum est, quod, qui potest plus, non possit non posse minus, praesertim cum querela ista etiam ad superiorem iudicem deferri possit. In terris tamen Brandenburgicis haec vsu non veniunt, hac querela cessante penitus. Idem obtinet II) in declarationis petitione contra sententiam, quae obscuritatis arguitur. Aliquando enim sententiae sensus non adeo obscurus est, vt perspici prorsus nequeat, sed saltem probabiliter de eo constare potest: ne itaque hoc casu ex reiectione petita declarationis periclitetur litigator, non inepte in hunc euentum adiicit appellationem, praesertim in terris Bran-

denburgicis, vbi reiecta declarationis petitione nullum amplius admittitur remedium, COD. FRID. P. III. Tit. 38. §. 6. et vide supra §. 9. Quemadmodum autem iterum sub praetextu obscuritatis et petendae declarationis partim post decendum rei iudicatae auctoritatem euertere, partim etiam intra decendum ipsi sententiae tenori contrariam explicationem impetrare calumniantes intendunt: ita vtrique malo obuiam itum CODICE FRIDERICIANO cit. Tit. 38. §. 1. 4. 5. et 6. cum non solum ad decendum restricta sit declarationis petitio, verum etiam 5 thalerorum poena constituta in eos, quorum petita vel ad euerfionem sententiae tendunt, vel notorie friuola sunt, cit. §. 1. et 6. adeo vt eadem poena infligenda sit, si declaratio negetur, appellationi euentuali adnexae autem concedatur locus, cit. §. 6. Caeterum III) quoad remedia suspensiuua nota est regula, quod semel interposita atque admissa sequente postea sententia confirmatoria ob idem grauamen iterum non concedantur, ad vitandum absurdum progressum in infinitum, sed appellandum sit; vnde pragmaticis familiare est illud: *non datur leueteratio leueterationis, restitutio restitutionis, reuiso reuisionis, supplicatio supplicationis*; idque innuit vulgare dicterium, *quod iterationes in iure sunt odiosae*. Vti vero regula

gula ista admittit exceptionem, ita ad hanc etiam pertinet, si quis loco appellationis ad SUMMA IMPERII TRIBVNALIA sibi competentis, vt sumtibus et tempori parcat, ad idem iterum admitti cupiat remedium, propter idem grauamen sub nomine *oberleuterationis*, vel vti alias remedia talia dicuntur. Cum ergo dubius sit appellaturus, an iudex illi remedio iterum concessurus sit locum, poterit eidem addere appellationem in contrarium euentum. Quin in quibusdam iudiciis nequidem *reuissonis remedium* permittitur, quam renuncianti ad IMPERII TRIBVNALIA SUMMA appellationi: ideoque non incongruum erit, insistere appellationi in casum reiectae reuissionis.

## §. XVI.

Quod reliquum est, in causis quidem criminalibus rarior est appellandi facultas, adeoque vix est, vt de appellationibus euentualibus in criminalibus sumus solliciti, atque si forsán in processu accusatorio tale quid occurrat, ex deductis facile de eo erit formandum iudicium. Processus autem inquisitorius easdem adhuc minus admittit. Interim aliquando vidimus, in hac etiam procedendi ratione occurrere abusum appellationum euentualium. Sic factum

De appell.  
euent. in crimi-  
nalibus.

factum esse scio, quod denunciatus quidam vehementer inquisitionem vrgens personam certam delicti insimulati ergo ad iudicem detulerit, adiuciendo appellationem, nisi iudex e vestigio inquireret. Sed quid sibi vult eiusmodi appellatio inepta, tum deficiente adhuc gravamine, tum quod iudex nequidem proprie dicendus sit grauasse, inquisitionem intermittendo §. 9. num. IV. et VIII. et §. 10. num. I. tum quod iudice officio suo non satisfaciente potius neglectus eiusdem superiori esset denunciandus. Pari modo incongrue adiuicitur appellatio vltiori defensionis pro auertenda inquisitione speciali. Quodsi enim prioris defensionis momenta imparia fuerint iudicata auertendae inquisitioni speciali, iudex argui nequit de inquisitione temere suscepta, vt adeo nec vltior defensio concedenda sit BERGER. *El. Crim. suppl. II. p. 43.* praesertim cum principalis adhuc salua maneat inquisito defensio, nec sic appellatio euentualis locum inueniat. Sed sufficiant haec speciminis Academici loco, cui, qui vrget instans, ex Academia discessus imponere iubet

F I N E M.





ORNATISSIMO  
ET  
AESTIMATISSIMO  
CAROLO PHILIPPO PESTEL  
SAL PLVR. DIC.  
SIGISM. IACOBVS BAVMGARTEN.

**L**icet nunc aegre sufficiam ad bonorum verborum officia illis praestanda, qui vel publice vel priuatim ex disciplina mea dimittuntur, atque laboribus extraordinariis crebrioribusque morbis paene succumbam: nolui tamen rogatus TIBI post disputationem solemmem discessuro publica gratulatione, amoris significatione, meique testimonii, si qua est, auctoritate deesse, atque opportunitatem praetermittere publice testificandi, quanti faciam et PESTELIANAE familiae, de bonis literis et republica meriti ssimae, nomen et in primis parentis TVI amplissimi in me amorem et beniuolentiam dudum cognitam et perspectam. Breuiter vero et succincte defungar officio, neque laudatoris partes suscipiam; sed eaduntaxat commemorabo, quae effecerunt ut magnopere TIBI velim atque bene de TE sperem. De quibus haec habeto. Ex quo domi pariter ac in academia rintelensi ad litterarum studia feliciter tractanda insigniter praeparatus in academiam nostram me-

G

umque

umque conuictum quotidianum concessisti, singularem in TE depre-  
hendi morum honestatem, animi modestiam, proficiendi ardorem,  
ingenii perspicaciam atque veri rectique studium: neque hos tres  
annos et quod excurrit quidquam de TE mihi innotuit, quod cen-  
sura magistratus academici animaduertendum fuerit, aut profligatae  
vitae suspicionem facere potuisset. Quae ut in temporum  
nostrorum corruptione vitaeque academicae periculis magni omni-  
no facienda sunt; ita TIBI vere et ea animo gratulor, una cum  
innumeris naturae, educationis et industriae beneficiis diuinitus in  
TE cumulatis, ipsaque bonorum omnium de TE expectatione  
eximia: quam tamen grauem aduersariam TIBI constitu-  
tam esse atque paratam cogitabis, nulla re alia vincendam, quam  
laudabili virium contentione perpetuoque virtutis studio. De me  
TIBI persuasum habeas, licet ab homine meae fortunae neque  
iuuari neque ornari admodum possis, nunquam tamen me com-  
missurum, ut fidem, studium, officia inseruendiue voluntatem  
desideres, votis certe pro salute TVA conceptis, precibus et  
supplicationibus ad DEVM O. M. rerum humanarum arbitrum,  
nemini vel TVI amantissimo inferiorem. Quas indulgentissi-  
mum numen, si TVAE accesserint, irritas esse non patietur: cui  
commendatissimus parentibus, familiae, patriae et rei publicae  
diu viue feliciter. Dedi Halae ad Salam in acad. Frideric.  
d. xxv. Sept. cld lō cclii.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.  
PRAESES.

**A**uges PRAECLARAE TVAE FAMILIAE *splendorem*,  
AMICE AESTVMATISSIME, merito ipsis TVIS egre-  
gus factoribus. Id enim officii nostri est, ut nos non alie-  
nis solum inuoluamus virtutibus, nec tantum gloriemur maiores  
nostros, aut gentilium honores osentemus, verum id agamus, ne  
illorum gloria in nobis deficiat, aut nostra obscuretur inertia, sed  
ut isti aliquid addamus ipsi. Sic TV quoque recte subduxisti vi-  
tae TVAE rationes, PRAENOBILISSIME DOMINE PESTE-  
LI, dum contentus non fueris, quod sortitus sis PARENTES  
PRAECLARI nominis, imprimis PATREM VIRVM EXCEL-  
LENTISSIMVM ET CONSVLTISSIMVM DOMINVM  
IOANNEM FRIDERICVM PESTELIVM, POTEN-  
TISSIMI BORVSsovM REGIS CONSILIARIVM EIVS-  
DEMqVE PRAETOREM IVRI DICVNDI HERFORDIAE  
CONSTITVTVM *veram germanae iustitiae imaginem*. Non *suf-*  
*ficit*, PROAVVM DN. DAVIDEM PESTELIVM ANTECES-  
SOREM PRIMICERIVM *et SENIOREM ACAD. RINTE-*  
*LENS. fuisse* TIBI *et ATAVVM DOMINVM CONSILIA-*  
*RIVM ET DOCTOREM POTT, EVMqVE inclaruisse dis-*  
*sertatione de Vsfufructu Paterno Tubingae habita in Disserta-*  
*tionibus LAVTERBACHIANIS exstante. Non solum osen-*  
*tas agnatos VIROS ILLVSTRES et CONSVLTISSIMOS PE-*  
*STELIOS Patrem et Filium ANTECESSORES Rintelenses*  
*famigeratissimos; sed IPSE TVIS quoque virtutibus TE in-*  
*voluis. Etenim ita TE praestitisti ab incunabulis, ut PAREN-*  
*TVM TVORVM pientissimorum cura in TE ad vitam probam*  
*educando collocata non fuerit sine fructu. Sic Viri quondam plu-*

rum Reuerendi Volmari Verbi Diuini Ministri, qui haud ita pridem ad beatorum abiit sedes, fidelissima institutione in literis elegantioribus bene imbutus in consortio ILLUSTRIS nunc ANTECESSORIS RINTELENSIS PESTELII Filii Batauiam percurristi ibique contemplatus obseruatu digna per anni spatium Rintellii facem praeferenibus VIRIS CELEBERRIMIS Historiae vniuersali, Iuri Naturae et Institutionibus Iustinianeis operam nauasti sedulam. Cumque postea Te Halam contuleris nostram per triennium et quod excurrit semestre ad Iurisprudentiam animum tanta adplicasti sollertia, vt praeter aliorum ILLUSTRIVM et EXCELLENTISSIMORVM Professorum aroafes, meis non solum recitationibus theoreticis interfueris auditor sollertissimus, sed etiam manu ductione mea practica in collegio processuali elaboratorio vsus speciminibus apte compositis mihi satis probaueris profectus TVOS egregios, praeterque quod morum elegantia et suauitate singulariter TE mihi commendaueris. Sed quid opus est verbis, vbi ipsa rerum testimonia adsunt in specimine quod in publico conflictu contra doctissimorum opponentium dubia me praeside propugnatum is. Non dubito, quin strenuum TE in hoc certamine sis praestiturus opusculi propugnatorem, atque eximiam inde consecuturus gloriam. Id saltem doleo, quod mihi non prius vacauerit, praesidio TIBI iam dudum et saepius flagitanti indulgendo. Laudo igitur eo magis honestum TVVM desiderium, quo diutius expectaueris mirum conflictus TVI eruditi moderamen: nihilque restat, quam vt TIBI gratuler exantlata studia Academica, PARENTIBVS TVIS EXCELLENTISSIMIS Filium optimae spei, totique genti TVAE splendidissimae agnatum ad illius gloriam augendam per verae virtutis viam gnaviter grassantem, Maecenatibus TE etiam atque etiam vehementer commendans TIBI autem prospera quaeuis adprecans. Vale et faue. Dab. Halae Magdeburgicae die 11. Octobr. ob b CCLII.

VIRO

V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,  
DISSERTATIONIS AVCTORI RESPONDENTI  
AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IIVSTVS CONRADVS MICHAELIS  
POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS AVLICIS  
ET RATIONIBVS.

**G**ratum mihi accidit, TIBI posse gratulari. Innuat gratulario ipsa noctam quandam felicitatem, ob quam gaudium alteri declarare suum, amoris et amicitiae exigit officium. Felicem ergo TE praedico, meque ad officium quoddam TIBI obstrictum profiteor. Felix es, qui optima indole, qui ingenio omni liberali doctrina politissimo, qui singularibus animi dotibus, qui reliquis natura fortunaque TIBI largissime concessis donis, iam instructus es singulariter, ut quid in TE, quidque expectandum a TE sit, litterarum virtutumque amantes, quam primum ipsis innotuisti, omnes, iam inde a pueritia TVA praesagire potuerint. Quam quidem aliorum de TE expectationem TV non modo feculisti nunquam, sed impleuisti vberime, auxisti mirifice, vicisti felicissime.

Nihil nunc dicam de diligentiae, de vitae honestatis morumque probitatis exemplo illustri sane in TE conspicuo. Testes huius rei TIBI non desunt grauissimi.

Ad meum ergo officium redeo gratulans TIBI de TVA felicitate. Gratulor hoc doctrinae et studiorum quod nunc edis specimen. Gratulor anticipando quasi et augurando, fortunam quae TE comitabitur semper secundam, ingenio, industria virtutibusque TVIS dignam. TVO denique me commendans amori, animum sic TIBI declaro meum perennis felicitatis TVAE cupidissimum TIBI que deditissimum. Vale.

G 3

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ERVDITISSIMOQVE  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D. A. P.

D. IOAN. PHILIPPVS I. T. F. CARRACH  
IVRIVM PROFESSOR PVBLICVS ET SENATVS  
IVRIDICORVM ADSESSOR.

**S**pecimen es, AMICE CHARISSIME, atque documentum laboris et industriae reliquis reipublicae huius litteratorum civibus. Intentus egisti, cognitionem iuris consequi non tantum cupivisti, verum etiam quaevis ab adolescentia pulcherrime a sapientibus vivis tradita uti memoria ita et scientia comprehendisti, eo nobis optime commendandus nomine quo DOMITIVS olim TVLLIO. Licesti, consecratus fuisti, orasti, sacrivola, flamen, fecialis, non imagini, spectro, vanaeque speciei cuidam Minervae, Apollinis, Musarum, quibus tot inertes abutuntur adpellationibus, sed ingenio, studiis, disciplinae, in publico quondam apud Rintelenses congressu academico more pugnantium bis terque orator quum primus arma inferens tum impetus propulsans. Quaesivisti simul adiumenta doctrinae, artibus eruditus honestissimis. Quum quoque non omnes frugiferi sint agri, tantoque maiori in pretio sit libertas in percipiendis fructibus ipsa fruens, haec posterior pariter gloriae TIBI est et emolumento. Tricis forensium iniustus, hominum accurate leges non tenentium fraudibus, pravis molestisque altercationibus, concionibus varissimorum ludibrio prolatis, famulitii voce atque lingua tam iudicem quam adversarios effascinantium dicam scribis, malis divissimo morbo peioribus medelam paras, ac ne temere tale quid ausus iudiceres, feruet iam forum, eunt redeuntque viam, qui veritatem contra iudicatione sibi asserunt. Pro sperantem secundi exitus certissimus ominor litem, PARENTVM IVORVM, Agnatorum. Gentilium, patriae, eruditorum delicias propius abhinc copandas laetus praevideo, TVI nunquam non flagrans desiderio, fauentissimum ut TE mihi praebes, rogo. Vale. Coloniae Carolinae Pridie Kalendas Octobres A. D. I. clv lxx cclii.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

OPPONENS

GEORG. GVSTAVVS L. B. DE MAYDELL  
ESTHO - LIVONVS.

**N**on multis verbis mihi opus esse videtur, quibus in laudes  
TVAS excurram ac rotunde dicam de optimis TVIS in  
studiis iuridicis successibus, quos tanta cum laude iam fecisti, ut,  
nisi omnia me fugiant, iis plaudendis superfedere possim, vixote  
qui TIBI ipse satis ornamentum et splendoris doctissimis TVIS  
conaminibus conciliasti. Verum mihi magis est respiciendum ad  
TVAE amicitiae necessitudinem TVAMque humanitatem, qua  
semper amicos TVI generis excipere soles, in quorum numero me  
ultimum non esse, novi. Est itaque vestigium TVI amoris TVAE.  
que benevolentiae, quod mihi officium Opponentis committere vo-  
lueris. Ego vicissim precibus TVIS, ex animo ad quaevis hu-  
mani-

manitatis officia prono, quo semper erga TE usus fui, resistere non potui, sed fungor potius isto Opponentis munere, quod magis amicitiae gratia ac iussu TVO, quam alia ex ratione, suscepi. Reliquum mihi itaque nil aliud esse putavi, quam ut TIBI ex animo gratuler honorem, quem inde reportabis, ut gratuler familiae TVAE simulque patriae TVAE, quae olim fructus impensae operae TVAE abunde ac copiose percipiet, et ex TVIS doctissimis scriptis multam utilitatem in posterum hauriet. Ego, quoad spiritus hos regit artus, nunquam immemor TVORVM meritorum cultaeque inter nos mutuae amicitiae nec locorum diuersitate, quae nos seiunctura est, ab officio discedam, qui nil magis in votis habeo, quam ut stadium academicum feliciter decurras, atque laude et gloria auctus patriae reddaris, quae optima quacuis a TVIS laboribus expectat. Vale ac mihi faue. Dabam in Fridericiana die XXX, Sept. 1752.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE  
DISSERTATIONIS AVCTORI

AMICO SVO AESTIMATISSIMO

S. P. D.

FRIDERICVS WILHELMVS AVGVSTVS  
A SELLENTIN  
BEROLINENSIS OPPONENS.

Qui TE, amicissime PESTELI, non repentino quodam animi impetu, aut aetatis feruore, sed certo mentis iudicio, et a primo vitae meae academicae anno diligere coepi, facere non possum, quin hodierno die amorem in TE meum publice testatum faciam, abitumque, quem academiae spatii laudabiliter decursis ad patrios penates paras, vehementer gratuler. Ut primum enim TE penitus inspicere mihi contigit, tantam in TE morum suauitatem tantam doctrinae varietatem, tantam amicitiae fidem inesse deprehendi, ut nullo rerum iucundissimarum sensu tangi viderer, nisi vicissim amarem istum amorem tuum. Neque vero TE amaui solum, Amice integerrime, sed colui etiam et obseruavi. Non enim, quod ignaui solent, dierum annorumque numerum digitis computare, vitamque academicam silentio transire, sed solidam iurisprudentiae effigiem exprimendo in Themidos adyta TE penetrare cernebam. Gratulor igitur TIBI, Doctissime PESTELI, tam praeclaras animi dotes, quibus non amorem modo ac beneuolentiam omnium, sed Virorum quoque

H

doctis-

doctissimorum, acutissimorumque testimonia meruisti. Gratulor etiam Fridericianae nostrae, quod illustre ingenii monumentum in hoc suo augustissimo delubro nemine cogente, sed sponte, et honestissimo laudis stimulo concitatus dedicare decreuisti. Gratulor TIBI de Duce et Moderatore EXCELLENTISSIMO CARRACHIO cuius in iurisprudencia merita iam dudum aeternitati consecrata sunt. Gratulor item CONSULTISSIMO PARENTI TVO, quod talem filium Fridericianae polendum erudiendumque commisit, quem alma haec studiorum mater optimis litteris ac scientiis excultum, omnibus bonis applaudentibus reddit. Gratulor et Patriae ciuem bono publico natum, faustisque sub penetralibus educatum, optimarumque rerum scientia apprime instructum. Denique et mihi gratulor, quod me in societatem laudis TVAE recipere, partesque reprehendentis beneuole mihi demandare haud es dedignatus. Faxit Numen benignissimum, ut, quos in hac academia scientiarum collegisti thesauros, in patriae dulcissimae utilitatem, non sine insigni laborum TVORVM fructu, expromas atque conferas. Ita felicitatem TVAM non perpetuam tantum esse Deus jubeat, sed novis semper augeat incrementis, ut ego non nisi cum dolore a TVO consortio direllor. Vale, et quemadmodum adhuc fecisti, me amare perge. Halae Magdeburgicae D. xxx. Sept. clbcccclii.

VIRO

V I R O  
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
HVIVS EXIMII SPECIMINIS  
AVCTORI AC DEFENSORI  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO  
S. P. D.  
ANTONIVS LVDOVICVS A PVTTKAMMER  
O P P O N E N S.

**E**a fuit ratio studiorum et vitae TVAE, vt sine fructibus exoptatis esse nequeat. Ex quo enim in hacce Fridericiana studiorum caussa commoratus es, et prudenter quae ad scopum TVVM pertinent, elegisti, et cum laudabili constantia es prosequutus. Quae praestantiam ingenii, naturaeque complent, reliquisque officiis singularem TIBI parasti laudem, et inter haec, ea pietate et modestia cuncta egisti, vt qui TE norunt AMICE DILECTISSIME admirentur, reputantes, e quam pio et placido animo se prodant thesauri, rectae et ingenuae mentis. Quam ob rem etiam tanto libentius TIBI gratulor, de praesenti specimine egregio, quod nouum est commendationis TVAE fulcimentum, nec quiaquam superest, nisi vt Deus benignissimus sanitatem, atque omnia ea adspiret, quibus vera TVA felicitas promonetur. Redi in patriam bonis auibus, vt meritis ibi TVIS digna feras praemia, quod animitus adprecor. Amore me ac amicitia TVA et in posterum complectere. Vale. Scrib. Halae Magdeburgicae d. xx. Septembr. A. R. S. dō b c c l i i.

PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS DE VELTHEIM  
IN AVLA SERENISSIMI DVVIS BRVNSVICENSIS  
ET LVNEBVURGENSIS NOBILIS.

**A**d duo summa capita ea omnia redire circa quae Icti veri nominis officium versatur, cordatiores haud dissentur, ante omnia nimirum ut notionibus actionum moralium rite evolutis, legum et naturalium et civilium scientiam familiarem sibi reddat, atque tum quae in qualibet specie proposita obtinere debeat legis decisio omni remota erroris formidine, determinet. Quum enim omnis habitus practicus ex solida ipsorum iurium ipsarumque obligationum intelligentia proficiatur, haecque ex legum uniuersalium atque rationum legum particularium sublimiori profecto cognitione desumenda sit, extra omnis dubitationis aciem vindicatum existimo, neminem splendidum Icti nomen tueri, nisi qui has suas partes ex asse implere poterit. Verum semel eo res rediit inter Iurium Germaniae peritos, ut apud multos plus valeant boni nummi quam bonae veritates, huiusque furfuris sint praecipuis quos Pragmaticorum atque Practicorum nomine salutamus. Hi sunt plerumque qui omnis solidioris doctrinae fundamenta exsecrantur, et quod ignorantiae conuenit, quae neciunt contemunt. Hi sunt quorum indigesta et tumultuaria no-  
tio-

tionum ciuiliū congeries nullam in ipsorum cerebro locum reliquit  
profundis meditationibus, quique praeter quasdam formulas, quas  
vix a maioribus per manus traditas acceperunt, omnia ignorant, et  
adeo non potest non fieri vt ipso Proteo versatiliores reperiantur,  
si lites secundum veram legum latorum voluntatem dirimendae.  
Sed longe alia eaque nobiliori via incedendum, si turbida opinio-  
num diuortia, quibus delectatur tenebrosa haec ratio, exterminari  
nobis curae cordique est, atque ideo vt non nisi ad eam iurium  
cognitionem, quae legitimis scientiae naturalis principiis superstru-  
cta, iura positiva et cuiuslibet reipublicae rationibus individuali-  
bus hausta exhibet, peruenire operam impendamus, necesse est.  
Sic omnino vagum iudicis arbitrium, quod innumera iam iuris nau-  
fragia peperit, excluditur. Sic demum omne ius efficitur firmum  
ac stabile, summaque ciuitatis utilitas optime promouetur.

Simili modo, **TE VIR PRAENOBILISSIME** atque  
**DOCTISSIME**, sentientem video, dum dissertatio, quam in publi-  
ca arena hodie ventilandam **TIBI** sumpsisti, temerariam litium  
protractionem in appellatione euentuali obuiam e foris proscriben-  
dam abunde docet. Quamobrem eo lubentius **TE** cathedram con-  
fidentem votiua acclamatione concomitandum mearum partium  
esse duco, quo maiori semper ardore puriorem **TVAM** amicitiam  
mibi sanctam efficere nullus dubitavi, cuius et ideo exoptatam con-  
tinuationem vt a **TE** multis verbis mihi expetam, vel mea ex  
parte **TIBI** promittam, non opus iudico. Quod igitur reliquum  
est honores **TIBI** splendidissimos, et vt diu fruaris praestanti-  
sima sorte ex intimo cordis affectu apprecor. Sic vale resque  
**TVAS** semper fausto sidere perage. Dab. Halae in Regia Fri-  
dericiana d. 11. Octobr. 1606. c10 1606. c11.

MON-

## MONSIEUR.

**A**près les démonstrations d'amitié, que VOUS m'avez fait voir dans toutes les occasions pendant mon séjour en cette Académie, il est juste et de mon devoir, que je VOUS félicite dans un jour, ou VOUS allez recueillir les fruits de VOS veilles et de VOS études. Puissez VOUS acquérir l'approbation de tous VOS auditeurs, en remplissant les idées, que je me suis formées de VOS lumières, de VOS talens et de VOTRE capacité. Je ne doute pas, que VOUS ne soyez un jour la joie et la consolation de VOTRE famille en général, et en particulier de ceux qui VOUS ont donné le jour, ainsi que de VOS descendens. Je finis avec cela en VOUS priant de me conserver VOTRE amitié, et de croire que personne ne soit ni sera plus que moi,

## MONSIEUR


à Halle  
le 27<sup>e</sup> Sept.  
1752.

Votre très-humble serviteur  
et fidèle ami

*Fleurens Arnauld Meyer.*  
du Comté de Ravensberg.









Halle, Diss., 1752 AIM

ULB Halle 3  
002 612 291



82







B.I.G.

Farbkarte #13

*Præ. 21. num. 19.*

Q. D. B. V.  
MEDITATIONES *1752* *5a*  
DE

EMENDANDA LITIVM  
PROTRACTIONE

CIRCA

APPELLATIONES  
EVENTVALES

QVAS

PRAESIDE

IOANNE TOBIA CARRACH, ICto,

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
ET FACVLTTATIS IVRIDICAE

H. T. DECANO

AD DIEM II. OCTOBRIS c1o1occlii.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

A V C T O R

CAROLVS PHILIPPVS PESTEL

HERFORDIA GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

